



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Rebus Iaponicis, Indicis, Et Pervanis Epistolæ
Recentiores**

Hay, John

Antverpiae, 1605

Residentia Alangalana.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61204](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61204)

RESIDENTIA ALANGALANA.

IN hac Residentia vineę Domini excolendę operam suam impenderunt Sacerdotes quatuor & terni fratres. Pedibus iter fecerunt per flumina, stagna, & paludes, aqua crebrò ad umbilicum vsque profunda, & ardente Sole. Sed quia labor ex amore Dei profectus est, Deus per immensam suam benignitatem eos suo solatio in summis periculis destituit nunquam. Scribunt ab anno proximè exacto in præsentem vsque plures quadringentis supra mille sacrum regenerationis lauacrum suscepisse. Assiduè diuinis officiis interfunt, quę in hac residentia solenniori apparatu, quam alibi, celebrantur, ob trium Sacellorum, Indicorum commoditatem, quę longè superant Hispanica. Solent cantare Salve Regina, in honorem D. Virginis, & per Quadragesimam Psalmum Miserere pro facienda disciplina.

Milliones plures ad loca varia institutę, cum multiplici proventu baptismatum, aliorumque fructuum spiritualium. Nonnulla percensebo. Cum Patet in quadam ditiuncula degeret, Indus quidam manibus pedibusque mutilus nauigio, idq; solus ad Patrem, cum omnium admiratione, Deo scilicet & Angelo custode nauem impellente, recta contendit, & baptismi copiam sibi fieri experituit. Peritionis autem huius auctorem sibi fuisse Hispanum quendam affirmabat, dicentem omnes ad infernum detruendos, qui Christianam legem complexi non fuissent.

Scholarum fructus exitit maximus. nã scholastici singuli magistri facti sunt in ædibus paternis omnium domesticorum; bonoque vitę exemplo etiam alios ad amplectendam veram doctrinam inuitant.

Puer Ecclesię cantor, cum ab Hispano, quodam sollicitaretur ad designandum facinus parum honestum, respondit: Domine, probè noui, quo remedio tétationem illam tuam pellere debeas. Recitemus vnà Rosarium in honorem Beatiss. Virginis **MARIÆ**, ac extemplo omnes prauę cogitationes in fumum euanescent. Sic à recenti Christiano institutus est is, qui iure aliorum debebat esse magister & doctor.

In Insula Leita anno præterito, numerata sunt, supra quingentos, viginti nouem mortalium millia, & nostrorum tantum sacerdotum institutione, qui sunt sex, vtuntur. Quorum manibus sanctissima baptismi lympa in hac aliisque Insulis anni curriculo perfusa sunt decies millena & nongenta minimum capita. Atq;

908 LITT. ANNVÆ INSVLARVM PHILIPPIN,
hic breuiter est huius Vice-provinciæ fructus.

Restat tantum, vt P. T. oculos conijciens in hanc nouam pla-
tulam, tanta terrarum intercapedine Roma disunctam, & in ex-
tremis orbis partibus sitam, (sicut & in gubernatione Societatis
vltimum sortita est locum) illi omnem beneuolentiam & fau-
orem ostendat, submissis aliquot operariis cum his verbis: Mai. 18.
*Ite Angeli veloces ad gentem conuulsam & dilaceratam, ad populum
terribilem, post quem non est alius. vt lucem aliquam sua prædica-
tione Evangelica his tenebris inferant, & omnes supplices verum
Deum mundi conditorem adorent & venerentur.*

Hos thesauros offert P. V. Philippinarum India, confidit que se
diuina opitulante gratia & benedictione vestra maiores oblatu-
rum. Quod superest, Dominus noster P. V. incolumitatem, in Ec-
clesiæ totius utilitatem & Societatis incrementum, multos annos
creatur & conseruet.

P. V.

Filius, & in Christo seruus,

FRANCISCVS VAEZ

FINIS.

